



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Capitularia Regvm Francorvm**

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae  
doctissimorum virorum

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1677**

Karoli M. capitularia quinque incerti anni.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-19366**

fius senior per sacramentum eum liberet.

X L V. Si cuius puellam sponfamat alius  
priserit, solidos ducentos componere fa-  
ciat, in fredo solidos sexaginta.

X L VI. Si fur de septem latrociniis  
comprobatus fuerit, exierit ad judicium. Si

ibi incenderit, tradant eum ad mortem.  
Et postea quam ad judicium ambulaverit,  
si ibi non incenderit, tunc liceat suo senio-  
ri vvadio suo illum adhramire & pro eo  
emendare ac de morte liberare.

E X P L I C I T.

## A D M O N I T I O

De quinque sequentibus Capitularibus.

**C**APITVLARIA quinque quae sequuntur, sunt quidem Karoli Mag-  
ni, adeoque inter ceteras ejus constitutiones referri debent. Sed quoniam af-  
sequi conjectura non potuimus ad quem queque annum referenda essent, ad poste-  
rema Karoli tempora retulimus.

## CAPITVLARE PRIMVM INCERTI ANNI.

Nunc primùm editum ex schedis doctissimi viri Iacobi Sirmondi Societatis Iesu.

I. Vt eorum qui ad ordinandum  
veniunt fides & vita & scientia  
prius ab Episcopo discutiatur.

II. Vt fugitiivi Clerici & peregrini à  
nullo recipiantur sine commendatiis lit-  
teris.

III. Vt Presbyteri, Diaconi, vel ce-  
teri Clerici mulierem extraneam in domo  
sua non habeant.

IV. Vt monachi & Clerici tabernas  
non ingrediantur edendi vel bibendi causa.

V. Vt ignota angelorum nomina nec  
fingantur nec nominentur.

VI. Vt mulieres ad altare non ingre-  
diantur.

VII. Vt canonici libri tantum legan-  
tur in Ecclesia.

VIII. Vt nullus per pecuniam ordi-  
netur.

IX. Vt monachus vel Clericus ad se-  
cularia negotia non transseat.

X. Vt Clerici de civitate ad civitatem  
non transmigrentur.

XI. Vt nullus absolute ordinetur.

XII. Vt Clerici & monachi in suo pro-  
posito permaneant.

XIII. Vt Clerici inter se negotium ha-  
bentes à suo Episcopo dijudicentur, non  
à secularibus.

XIV. Vt Clerici & monachi insidias  
contra pastorem suum non faciant.

XV. Vt loca quae semel Deo dedicata  
sunt ut monasteria sint maneant perpetuò  
monasteria, nec possint ultrā fieri secula-  
ria habitacula.

XVI. Vt nullus Presbyter contra suum  
Episcopum superbire audeat.

XVII. Vt Clerici ecclesiastici ordinis,  
si culpam incurserint, apud ecclesiasticos  
judicentur, non apud secularares.

XVIII. Vt qui commodaverit pecu-  
niā, pecuniam accipiat. Si speciem aliam,  
eandem speciem quantum dederit aeci-  
piat.

XIX. Vt ante viginti quinque annos  
aetatis nec Diacones ordinentur nec virgi-  
nes consecrantur.

X X. Vt virgines Deo sacrata simul ha-  
bitantes invicem se custodiant, nec passim  
vagando Ecclesias lardant exiftimationem.

X XI. Vt falsa nomina martyrum non  
venerentur.

<sup>814.</sup>  
XXII. Ut nec uxor à viro dimisla alium accipiat vivente viro suo, nec vir aliam accipiat vivente uxore priore.

XXIII. Ut ecclastica jejunia sine necessitate rationabili non solvantur.

XXIV. Ut nullatenus Presbyter ante trigesimum ætatis sue annum ordinetur.

XXV. Ut nulli sacerdotum liceat ignorare sanctorum canonum infinita.

XXVI. Ut nullus Episcopus ad clericatus officium servum alterius sine domini sui voluntate promovere præsumat.

XXVII. Ut Episcopi & reliqui sacerdotes canones bene intelligent & secundum canonicanum institutionem vivant.

XXVIII. Ut Episcopi diligenter discutiant per suas parochias Presbyteros eorum fidem, baptisma, & Missarum celebrationes, & ut fidem rectam teneant, & baptisma catholicum observent, & Missarum preces bene intelligent, & ut pleni dignè secundum modulationes versuum modulentur.

XXIX. Ut fides catholica ab Episcopis & Presbyteris diligenter legatur & omni populo prædictetur. Et dominicam orationem ipsi intelligant & omnibus præcent intelligendam, ut quisque sciat quid petat à Deo.

XXX. Ut omnis populus Christianus fidem catholicam & dominicam orationem memoriter teneat.

XXXI. Ut inter Episcopos, Abbates, Comites, Iudices, & omnes ubique seu maiores seu minores personas pax sit & concordia & unanimitas; quia nihil Deo sine pace placet.

XXXII. Ut Abbates canonici canones intelligant & canones observent, & Clerici canonici secundum canones vivant.

XXXIII. Ut Abbates regulares & monachi regulam intelligent & secundum regulam vivant.

XXXIV. Ut Abbatissæ canonice & sanctimoniales canonice secundum canones vivant, & claustra earum ordinabiliter compostæ sint.

XXXV. Ut Abbatissæ regulares sanctimoniales in monachico proposito existentes regulam intelligent & regulariter vivant, & claustra earum rationabiliter dispositæ sint.

XXXVI. Ut Ecclesia Dei suum habeat honorem, simul & altaria secundum suam dignitatem venerentur. Et non sit domus Dei & altaria sacra pervia canibus.

Tom. I.

Et ut secularia negotia vel vaniloquia in Ecclesiis non agantur.

XXXVII. Ut Presbyteri & Diacones vel reliqui Clerici arma non portent, sed confidant in defensione Dei quam in armis.

XXXVIII. Ut quibus data est potestas judicandi justè vel judicent, non munib[us], quia munera exceccant corda prudentium. Et ut judices jejunii caufasjudent & discernant.

XXXIX. Ut omnes caveant perjurium, non solum in sancto evangelio, vel in altare, seu in sanctorum reliquiis, sed & in communis loquela. Et ut qui in sanctis habet jurare, hoc jejunus faciat cum omni honestate & timore Dei. Et qui semel perjuratus fuerit, nec tellis sit post haec, nec in sua causa nec in alterius jura tor exigit.

XL. Ut nemo sit qui ariolos scisciteret vel somnia observet vel ad auguria intendat, nec sint malefici, nec incantatores, nec phitones, nec cauculatores, nec tempestarij, vel obligatores. Et ubincunque sunt, emendentur vel dammentur.

XLI. Ut observationes quas stulti faciunt ad arbores vel petras vel fontes, ubi cunque inveniuntur, tollant & destruantur.

XLII. Ut homicidia infra patriam nec causa ultionis nec avaritiae nec latrocinandi non faciant. Et non occidatur homo nisi lege jubente.

XLIII. Ut furtæ & injusta connubia & inlicitæ cause prohibeantur.

XLIV. Ut aequales menfuræ & rectas & pondera justa & aequalia omnes habent. Et qui antea dedit tres modios, modò det duos.

XLV. Ut mangones & cociones & nudi homines qui cum ferro vadunt non finantur vagari & deceptions hominibus agere.

XLVI. Ut opera servilia diebus dominicis non agantur. Et ut dies dominica à vespera ad vesperam celebretur.

XLVII. Ut omnes fidelitatem prominant Domino Imperatori.

XLVIII. Ut Comites & judices confiteantur qua lege vivere debeant, & secundum ipsam judicent.

XLIX. Ut beneficia Domini Imperatoris & Ecclesiæ considerentur, ne forte aliquis alodium suum restaurans beneficia destruat.

L. Ut beneficia Saxonum in Francia

KK ij

considerentur qualiter condirecta sint.  
L I. Vt liberi homines pauperes à nullo  
injuste opprimantur.

L II. Vt omnes parati sint quandocun-  
que Domini Imperatoris iusso venerit.

L III. Vt Missi ad Dominum Impera-  
torem venientes & ab eo directi honorabi-  
liter suscipiantur.

L IV. Vt hij qui in mundeburde Dom-  
ni Imperatoris sunt, pacem & defensionem  
ab omnibus habeant.

L V. Vt inquiratur si aliquis homo pro-  
pter iustitiam Domini Imperatoris annun-  
tiando occisus sit, vel aliquid mali passus  
sit.

L VI. Vt hij qui per beneficium Dom-  
ni Imperatoris ecclesiasticas res habent,  
decimam & nonam dare & Ecclesiarum

restaurationem facere studeant.

L VII. Vt bannus quem per semetip-  
sum Dominus Imperator bannivit sexa-  
ginta solidos solvatur. Ceteri vero banni  
quos Comites & judices faciunt, secun-  
dum legem uniuscujusque componantur.

L VIII. Vt omnes bonos & idoneos  
Vicedominos & Advocatos habeant &  
judices.

L IX. Vt Missi nostri, undecunque ne-  
cessae fuerit, tam de iustitiis Ecclesiarum  
Dei, viduarum, orphanorum, pupillo-  
rum, & ceterorum hominum inquirant &  
perficiant, & quodcumque ad emendan-  
dum invenient emendare studeant in  
quantum melius potuerint. Et quod per se  
emendare nequiverint, in praesentiam no-  
stram adduci faciant.

## CAPITVLARE SECUNDVM INCERTI ANN. I

*Nunc primùm edition ex veteri codice MS. clarissimi viri Philiberti  
de la Mare Senatoris Divisionis.*

### CAPITVLA A DOMNO KAROLO IMPERATORE ET FILIO EIVS HLVDOVVICO AC SAPIENTISSIMIS IPSORVM EPISCOPIS EXCERTA.

*De commutationibus utilibus permanendis  
inutilibusque delendis.*

V. 110. I. **V** Bicunque commutations tam  
tempore nostro quamque geni-  
toris nostri legitime & rationabiles atque  
utiles inter Ecclesias Dei factae sunt per-  
maneant. Vbicunque vero inutiles & in-  
commodae atque inrationabiles factae sunt,  
diffolvantur, & recipiat unusquisque quod  
dedit. Vbi vero mortua manus interjacet,  
aut alia quelibet causa qua rationabilis  
non esse videatur inventa fuerit, diligenter  
describatur & ad nostram notiam per-  
feratur.

*De illis qui res Ecclesiae tenent.*

V. 110. II. Si quis ecclesiasticam rem teneret, &  
admonitus judicium declinaverit, quo-  
unque ad discussionem veniat ut rem restituat  
ecclesiasticam, à communione privetur.

*Quod res Ecclesiarum vota sint fidelium, pre-  
tia peccatorum, & patrimonia pauperum;  
quibus non solum collata conservanda, sed  
etiam augenda sunt.*

III. Quia juxta sanctorum patrum tra-  
ditionem novimus res Ecclesiae vota esse  
fidelium, pretia peccatorum, & patrimo-  
nia pauperum, cui non solum habita con-  
servare, verum etiam multa Deo optu-  
lante conferre optamus, tamen ut ab ec-  
clesiasticis de non dividendis rebus illius  
Ecclesiae suspicionem dudum conceptam  
penitus amovere, statuimus ut neque  
nostris neque filiorum & Deo dispensante  
successorum nostrorum temporibus, qui  
nostram vel progenitorum nostrorum vo-  
luntatem vel exemplum imitari voluerent,  
nullam penitus divisionem aut jacturam  
patiatur Ecclesia.

*De prediis Deo dicatis.*

IV. Placuit ne predia cœlestium secre-  
torum dicta Deoque tradita à quibus

814.  
dam aliqua occasione vexentur aut invadantur, sed sub immunitatis tutione perpetua firmitate perdurent. Similiter & homines earum, & omnia quae eis subiecta esse noscuntur. Si quis contra haec veniret, componat sicut de immunitate constitutimus, & penitentia publica a sacerdotibus usque ad satisfactionem multetur.

*De his qui fidelium oblationes auferant vel  
vastant, aut sine proprij Episcopi iustione  
dant vel accipiunt.*

V. 84. V. Quod fidelium oblationes ab Ecclesiis vel à jure Sacerdotum auferunt, vel ablatas accipiunt, non solum aliena vota disruptunt, sed & sacrilegium operantur, neconon & Ecclesiæ Dei fraudatores existunt. Quia Ecclesiæ aliquid fraudari vel auferri sacrilegium esse a majoribus approbat.

*De privilegiis Ecclesiæ vel Clericorum  
non corrumpendis.*

V. 103. VI. Ut privilegia quæ Ecclesiis & Clericis ab antecessoribus nostris vel à nobis concessa sunt, semper maneant incorrupta.

*De privilegiis Ecclesiæ.*

V. 111. VII. Ut privilegia quæ sacerdos sanctis Ecclesiis & Clericis à singulis Regibus vel Episcopis ceterisque rectoribus sunt concessa, semper maneant incorrupta.

*Quod sacrilegium sit Ecclesiæ aliquid auferre  
aut sacerdotibus vel ministris aut ipso san-  
cto cultui locoque injuriam inferre. Cap.  
ex lege.*

V. 115.  
406. VIII. Si quis in hoc genus sacrilegij proruperit ut in Ecclesiis earumque res inueniatur, sacerdotibus ac ministris vel ipso cultui locoque aliquid, quod non oportet, injuria inferat, divini cultus injuriam convictus sive confessus reus capitali sententiæ noverit vindicandum. Nec exceptetur ut Episcopus injuria proprie ultionem depositat, cui sanctitas ignoscendi soli gloriam dereliquerit. Sitque cunctis non solum liberum sed etiam laudabile factas atroces Sacerdotibus aut ministris injurias veluti publicum crimen persequi ac de talibus reis ultionem mereri.

*Quod h̄i qui predia ecclesiastica diripiunt vel  
vastant, sacrilegi sunt, exilibique dam-  
nandi.*

V. 117.  
385. IX. Ab omnibus illius usurpationis contumelia depellenda est ne predia sibi coelestium secretorum dicata a quibusdam inruentibus vexentur. Quod si quis præsumperit, post debita ultions acrimoniā, quæ erga sacrilegos jure promenda

est, exilio perpetuae deportationis damnatur.

*Quod predones Ecclesiæ sacrilegi sunt, sicut  
scriptura testimonio comprobatur.*

X. Sacrilegi sunt Ecclesiæ predones. V. 1. 394.  
Vnde & in Concilio Agathensi sub quarto capitulo decreatum habetur ita : *Amico Hieronymo quippiam rapere, furum est ; Ecclesiæ vero in epist. ad Nepotianum fraudari vel absrahi fabripique, sacrilegium, de vita Clo-*

*Omnis enim contra leges facientes, réf- ritorum.*

que Ecclesiæ diripientes, Ecclesiæ Sacerdotesque contra divinas sanctiones vexantes, sacrilegi vocantur, atque indubitanter infames sacrilegique habendi sunt.

*Quod ea quæ Domino consecrantur, ad ius  
ecclesiasticum pertinent.*

XI. Ea quæ Domino offeruntur vel V. 1. 395. consecrantur, ad ius pertinent Sacerdotum. Et sacrilegi sunt omnes qui ea auferunt.

*Quod omnia quæ Deo offeruntur, proculdu-  
bitio & consecrantur.*

XII. Omnia quæ Domino offeruntur, V. 1. 407. proculdubio & consecrantur. Et non solum sacrificia quæ à Sacerdotibus super altare Domino consecrantur, oblationes fide-

*lum dicuntur, sed quicquid ei à fidelibus offeruntur, sive in manciis, sive in agris, vineis, silvis, pratis, aquis, aquarumve decursibus, artificiis, libris, utensiliis, petris, edificiis, vestimentis, pellibus, laneficiis, pecoribus, paucis, membranis, mobilibus & immobilibus, vel quaecunque de his rebus ad laudem Dei fiunt, vel supplementum sanctæ Ecclesiæ ejusque Sacerdotibus atque ornatum præstare pos-  
sunt, Deo Ecclesiæque suæ à quibuscumque ultrò offeruntur, Domino indubitanter consecrantur & ad ius pertinent Sacerdotum.*

*Et quia Christum & Ecclesiam unam personam esse veraciter agnoscimus, quæcumque Ecclesiæ sunt, Christi sunt, & quæ Ecclesia vel in supradictis vel in quibuscumque speciebus, sive pollicitationibus, sive pignoribus, sive scriptis, sive corporalibus rebus offeruntur, Christo offeruntur. Et quæ ab Ecclesia ejus quo-  
cumque commento alienantur vel tolluntur, sive alienando, sive vastando, sive diripiendō, Christo tolluntur. Et si ab amico quippiam rapere furtum est, præcipue Christo Domino nostro, qui est Rex Regum & Dominus dominantium, aliquid auferre vel alienare vel subripere vel vastare sacrilegium est. Omnes namque Ecclesiæ predones manifestissimè sunt sacrilegi.*

Et nullus sacrilegus nisi per puram probatamque atque publicam penitentiam, & per Ecclesiae satisfactionem, Episcoporumque per manus impositionem juxtagonicas sanctiones reconciliationem, regnum Dei possidebit, & non solum a regno Dei fit alienus, sed etiam a liminibus sanctae Ecclesiae, & praecipue ad illius quam laetit, utique ad predictam satisfactionem extorris efficitur. Talium vero scelerum pateritoribus, nisi post predicationem satisfactionem, nec vivis nec mortuis communicare debemus. Quia qui rapit pecuniam proximi sui, iniuriam facit. Qui autem pecuniam Ecclesiae abfulerit, sacrilegium facit. Qui non solum sacrilegi, sed etiam fures sacrilegi & lupi atque homicidae pauperumque necatores sunt, & infuper anathematice vinculo damnati coram Deo & sanctis eius efficiuntur.

*Vt Ecclesiarum privilegia vel facultates sive quicquid ad easdem pertinet nullus invadere presumat.*

**VI. 426.** *XIII. Praecipimus omnibus ditioni nostrae subjectis ut nullus privilegia Ecclesiarum vel monasteriorum infringere, res-*

que Ecclesiarum invadere, vel vastare, aut alienare, vel facultates earum diripere presumat, nec sine precario possidere pertentet. Quia, sicut a sanctis patribus instruici fumus, gravissimum peccatum hoc esse dinoſcitur, testante sacra scriptura, que ait: *Qui abfulerit aliquid patri vel matri, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicida est.* Pater nostra sine dubio Deus est, mater nostra, Ecclesia, quae nos in baptismō spiritualiter regeneravit. Ergo qui Christi pecunias & Ecclesiae fraudat vel rapit, sive vastat, vel alienat, homicida ante confpectrum iusti judicis esse deputabitur. De quo quidam sapientum dicunt: *Qui rapit pecuniam proximi sui, iniuriam facit. Qui autem pecuniam Ecclesiae abfulerit, sacrilegium facit.* *Quod homicide ante Deum deputentur qui res Ecclesiae vallant.*

**XIV.** Volumus omnes scire quod qui **VI. 426.** Christi & Ecclesiae pecunias auferunt, resque ejus fraudant, rapiunt, vastant, vel diripiunt, homicidae ante Deum esse deputantur; quia res pauperum, quos Ecclesia pascere debet, diripiunt.

## CAPITVLARE TERTIVM INCERTI ANNI.

*Nunc primum editum ex eodem veteri codice Divionensi MS.*

**CAPITVLA A DOMNO KAROLO ET FILIO EIVS  
HLDVOVVICO AC SAPIENTISSIMIS IPSORVM  
EPISCOPIS EXCERTA.**

*De his qui putaverunt idcirco preceptum esse non ire ad pugnam Sacerdotes ut honor eis minueretur.*

**VII. 142.** *I. Q* Via instigante antiquo hoste adivinus quosdam nos suspectos habere propterea quod concessimus Episcopis & Sacerdotibus ac reliquis Dei servis ut in hostes nisi duo aut tres a ceteris electi, & Sacerdotes similiter perpauci ab eis electi, non irent, sicut in prioribus nostris continetur capitularibus, nec ad pugnam properarent, nec arma ferrent, nec homines tam Christianos quam paganos nearent, nec agitatores sanguinum fie-

rent, vel quicquam contra canones facerent, quod honores Sacerdotum & res Ecclesiarum auferre vel minorare eis voluissemus, quod nullatenus facere velle vel facere voluntibus consentire omnes scire cupimus. Sed quanto quis eorum amplius suam normam servaverit, tanto cum plus honorare & cariorem habere volumus. Et ut hec certius credantur & per futura tempora conserventur, praecipimus ut nullus res Ecclesiae nisi precario possideat. Et postquam ipsæ precarie finite fuerint, faciant potestativè speculatores Ecclesie utrum elegerint, ut aut ipsas res recipiant, aut polteris eorum sub preca-

rio & censu habere permittant; ita tamen ut ipsi proprias & utiles res eisdem Ecclesiis, de quarum Ecclesiarum jure esseвидentur, legaliter tradant. Et sic à rectoribus Ecclesiarum precariæ, si renovanda sunt, canonice renoverunt. Novimus ergo multa regna & Reges eorum propterea cecidisse quia Ecclesias expoliaverint, resque earum vastaverunt, abstulerunt, alienaverunt, vel diripuerum, Episcopisque & Sacerdotibus atque, quod magis est, Ecclesiis eorum abstulerunt, & pugnantibus dederunt. Quapropter nec fortis in bello nec in fide stabiles fuerunt, nec viatores extiterunt, sed terga multi vulnerati & plures interfici viderunt, regnaque & regiones &c., quod pejus est, regna ecclesiæ perdiderunt, atque propria hereditatibus caruerunt & haec tenus carent. Quia omnia vitantes, nec talia facere, nec contentire, nec infantibus aut successoribus nostris exemplum dare volumus; sed quantum valemus & possumus, adjuncto Leonis Pape & omnium Episcoporum, quorum consilio usi hoc egimus, spiritu nostro spiritui, per Deum & omnium sanctorum merita prohibemus contestamurque ne talia faciant vel facere voluntibus consentiant, sed adjutores & defensores atque sublimatores Ecclesiarum & cunctorum servorum Dei pro viribus existant, ne in foveam in quam prædicti Reges & regna cederunt cadant, aut in profundum, quod ab sit, inferni demergantur. Et ut hæc devotius per futura tempora conserventur, præcipientes jubemus ut nullus tam nostris quam futuris temporibus à nobis vel successoribus nostris ullo unquam tempore, absque consensu & voluntate Episcoporum in quorum parochiis esse noscuntur, res Ecclesiarum petere aut invadere vel vastare aut quounque ingenio alienare præfumar. Quod si quis fecerit, tam nostris quam & successorum nostrorum temporibus pennis sacrilegij subjaceat, & à nobis atque à successoribus nostris nostrisque Iudicibus vel Comitibus sicut sacrilegus & homicida vel fur sacrilegus legaliter puniatur, & ab Episcopis nostris anathematizetur, ita ut mortuis etiam sepultura & cunctis Dei Ecclesia precibus & oblationibus careat, nec eleemosynam suam quisquam recipiat. Quod autem maximum sacrilegium sit res Ecclesia auferre, invadere, alienare, vastare, vel subripi, maxime omnes scriptura divinae testantur; & beatus Symma-

chus Papa synodali sententia cunctos feriendo dicit: *Iniquum est, inquit, & sacrilegij instar ut que vel pro salute vel pro requie animarum unusquisque venerabili Ecclesiæ pauperum causa contraheret, aut certè reliquerit, ab his quibus maximè servare conveniat autem in aliud transferri.* Et multa sanctorum canonum decreta & sanctorum patrum dicta hæc eadem testantur, quæ scrutari & scire cupientibus per facile patent.

*De sceleribus nefandis ob quæ regna percussa sunt, ut penitus caveantur.*

II. Prohibemus omnino sub pena sa-

VII. 143.

crilegij generaliter omnibus cunctarum Ecclesiarum rerum invasiones, vastationes, alienationes, facerdotumque & reliquorum servorum Dei oppreßiones, vexationes, atque cunctorum generum injurias, necnon & cunctis utriusque sexus hominibus adulteria, fornicationes, sodomiticasque luxurias, atqueincepta, vel cuncta inlicita conjugia, homicidia, injulta perjuria, falsa testimonia, & omnia inlicita pro quibus non solum regna & Reges sed etiam homines in eis commanentes perire cognovimus. Sed quia Deus auxiliante, per merita & intercessionem sanctorum servorumque Dei, quos sublimare & honorare curavimus atque curamus, haec tenus nos & successores nostri regna & regiones adquivimus & victorias multas habuimus, deinceps summoperit omnibus nobis providendum est ne pro prædictis inlicitis & spurcissimis luxurias, his, quod ab sit, careamus. Nam multæ regiones quæ rerum Ecclesiarum invasiones, vastationes, alienationes, vexationesque, & Sacerdotum reliquorūque servorum Dei oppreßiones vel quacunque injurias, quæ jamdieta inlicita adulteria vel sodomitica luxuriam vel commixtionem meretricum fecerat fuerunt, nec in bello seculari fortis nec in fide stabiles perfiterunt. Et qualiter Dominus talium criminum operatoribus ultrices poenas per Saracenos & alios populos venire & senvire permisit, cunctis eorum gestas legentibus liquet. Et nisi nos ab his caveamus, similius nobis supervenire non dubitamus; quia vindicta est Dominus ex his omnibus. Quapropter sciat unquisque nobis subiectus, qui in uno ex his repertus atque convictus fuerit, & honores, si haber, omnes perdere & in carcere rem se usque ad justam emendationem atque publicam satisfactionem retrudi & ab-

omni fidelium confortio fieri alienum.  
Valde enim cavenda est illa fœva in quam  
alios cecidisse cognovimus.

*De rebus ecclesiasticis absque iustione proprij  
Episcopi non dandis.*

VII. 26. III. Placuit ut Episcopi rerum Ecclesiastarum in omnibus juxta sanctorum canonum sanctiones plenam semper habent potestatem. Nullus eas dare, variare, vel accipere absque proprij Episcopi audeat iustione. Nullus eas invadere vel vastare aut quoquo modo deterioreare præsumat. Nam devastantibus Ecclesiastis earumque res nihil aliud intelligimus quam contra illum aeterni imperij Deum ejusque maiestatis homines moveare certamen, cum illa ades illi die nocturne famulentur & illi sint consecratae. Vobis ergo vastantibus eisque invadentibus denuntiamus ne ab illo, si se commoveat, vastentur & disperdantur cujus percussio nemontium dorfa ferre non possunt. Nos vero ista nec agere volumus nec facere volentibus contentire, ne nos, quod absit, perdamus aut se perdere volentibus contentiamus. Quapropter præcipimus ut si quis ex jure ecclesiastico haecenam nostra largitate aliquid posset, si illa deinceps habere voluerit, ad proprios Episcopos veniat, & ab eis, & a propositis Ecclesiastarum unde esse videntur, quocunque modo justè potuerit ea impetrare satagat, & nihil ex eis alter ambiat aut concupiscat vel accipiat, ne cupidus sanctorum rerum ignis, qui in eis est, eos favilofius exurat. Vnde & in sacris canonicis spiritu Dei conditis decretum habetur ita: *Si quis ablata dederit vel acceperit preter Episcopum vel eum qui constitutus est ab eo ad dispensandam misericordiam pauperibus, & qui dat & qui accipit anathema sit. Scimus enim anathematizatos homines & in praesenti seculo infames esse ac perditos & a confortio fidelium in omnibus absque pane & aqua fieri alienos, atque si absque Ecclesia satisfactione de hac vita recesserint, a regno Dei fore extores. Quam foveam cavere dissimilans vel recusans nostra se sciat per omnia carere societate. Quia non solum qui faciunt, sed qui facientibus prava contentiunt, rei sunt. Satis enim nobis est regnum non habere terrenum quam aeternum perdere. Plus vero me credo posse Deum per suorum merita sanctorum adjuvare quam omnem militiam seculorum. Quapropter omnes scire cupimus, si super his quibus fruimur bonis universum mun-*

dum lucrari potuissimus, nostram vestrasque animas perdere voluissimus, nec fe prædictis cupiditatibus perdere volentibus assentire. Testante namque evangelica tuba didicimus nihil prodesse homini universum mundum lucrari, si anima sua detrimentum patiatur. Et iterum: *Quam datum homo communionem pro anima sua.* Et iterum: *Ibunt hi in supplicium sempiternum, iusti autem in vitam aeternam.*

*De his qui res Ecclesiæ à Principibus petunt, ut irrita habeantur que obtinent, & ipsi communione priventur. Ex Concilio Arvernensi K. XIII.*

V. Qui reicolam Ecclesiæ petunt à Regibus, & horrendas cupiditatis impulsu egentium substantiam rapiunt, irrita habeantur que obtinent, & à communione Ecclesiæ cuius facultatem auferre cupiunt excludantur.

*Vt hi qui res Ecclesiæ invadunt, vastant, vel diripiunt, se monente Episcopo non se correxerint, communione priventur. Ex Concilio Arvernensi K. XIV.*

V. Si quis cujuscunque munuscula Ecclesiæ sanctis scripturarum titulis collata nefaria calliditate abstulerit, fraudaverit, invaserit, retentaverit, atque suppresserit, & non statim a Sacerdote commonitus Deo collata reddiderit, ab Ecclesiæ catholicae communione pellatur.

*De his que à prioribus Principibus circa Ecclesiaram utilitates sunt ordinata, ut immota permaneant.*

V. Ea que circa catholicam legem vel olim ordinavit antiquitas, vel parentum nostrorum auctoritas religiosa constituit, vel nostra serenitas roboravit, nova superstitione submota, integra & inviolata custodiri præcipimus.

*Vt ab Ecclesiæ societate extorris habeatur quicunque eius rebus damnum intulerit.*

VII. Vt nullus Episcoporum aut cuiuslibet ordinis Clericus vel alia quicunque persona quibuslibet conditionibus seu in uno regno seu in alio positis alterius cujuscunque Ecclesiæ res aut peccatum aut presummat accipere. Quod si fecerit, tandem habeatur à communione altaris vel ab omnium fratrum ac filiorum caritate suspensus donec ipse Ecclesiæ cuius directo ordine juris est ablata restituat.

*De privilegiis Ecclesiastarum in libate servandis.*

VIII. Privilegia atque præcepta Ecclesiastarum manere semper incorrupta præcipimus, & quicquid ab antecessoribus vel parentibus nostris circa sacrosanctorum

814.  
rum Ecclesiarum utilitates constitutum est, vel que singuli quique antifites provocatis ecclesiasticis impetrarunt, sub pena sacrilegij jugi solidata æternitate serventur.

*De rebus Ecclesie à nullo injuriæ retentandis vel diripiendis.*

V L. 316. VII. 419. IX. Ne cui licet res vel facultates Ecclesie aut monasteriorum vel xenodochii pro qualunque eleemosyna cum justitia delegatas retentare, alienare, atque subtrahere. Quod si quis fecerit, tanquam necator pauperum, antiquorum canonum sententius constrictus, ab Ecclesie limibus excludatur quandiu ab ipso ea quae sunt ablata aut retenta reddantur.

*Vt ecclesiastica jura semper inlibata permaneant.*

VII. 445. X. Monemus ut iura Ecclesiarum, sicut à patribus divinitus inspiratis sunt ordinata, inviolata permaneant. Nihil alienum improbus ambitus concupiscat, nec per alterius imitationem suum aliquis querat augmentum.

*De Ecclesie & dotibus earum, ut ad Episcopi semper dispositionem pertineant.*

VII. 468. XI. Placuit ut omnes Ecclesie cum dotibus & omnibus rebus suis in Episcopi proprii potestate consistant, atque ad ordina-

tionem vel dispositionem suam semper pertineant.

*De his que ab antecessoribus nostris circa cultum divinum statuta fuerunt, ut semper inlibata permaneant.*

XII. Quæcumque à parentibus nostris VII. 477.

diversis sunt statuta temporibus manere inviolata atque incorrupta circa sacrofancias Ecclesias præcipimus. Nihil igitur à privilegiis inmutetur, omnib[us]que qui Ecclesie serviant tuitio deferatur. Quia temporibus nostris addi ponunt reverentie cum præmissis quād ex his que olim prædicta sunt immutari.

*Qualiter hæc statuta servanda sunt; & de his qui hæc contempnunt, sive Clericis, sive laicis, quid agendum sit.*

XIII. Has omnes constitutiones eccl[esiasticas], quas summatim breviterque

perstrinximus, sicut plenius in canone continentur, manere perenni stabilitate fancimus. Si quis ergo Clericus aut laicus harum fanchionum obediens esse noluerit, si Clericus fuerit, excommunicationi subjaceat. Si vero laicus fuerit & honestioris loci persona, medietatem facultatum fuarum amittat fisci viribus profuturam. Si vero minoris loci persona est, amissione rerum fuarum multatus in exilio deputetur.

## CAPITVLARE QVARTVM INCERTI ANN I.

### C A P . I.

D E ordinatione ecclesiastica & restau ratione Ecclesiarum Dei omnes generaliter habeant bonam providentiam.

#### I I.

Vt pacem & concordiam habeant ad invicem fideles nostri.

#### I I I.

Quomodo marcha nostra sit ordinata, & que per se fecerunt confiniales nostri specialiter istis præteritis annis.

#### I V.

De placito condicione ad marcham ne cesset ut omnimodis ex omni parte sicut ordinatum fuerit uniusquisque conveniat.

#### V.

De illis hominibus non recipiendis à Marchionibus nostris qui seniores suos fu-

Tom. I.

guint pro damna quæ eis facta habent.

#### V I.

De pravis Iudicibus, Advocatis, Vice dominis, Vicariis, Centenariis, vel reliquis actoribus malevolis non habendis.

#### V II.

De liberorum hominum possibilitate, ut juxta qualitatem proprietatis exercitare debeat.

#### V III.

Vt nullus consentiat suis hominibus ad maleficendum infra patriam de eo quod dicunt se non posse habere homines ad marcham defendendam, si eos bene dirigunt.

#### V IX.

De vallis regalibus, ut honorem habent, & per le aut ad nos aut ad filium nostrum caput teneant.

L I

## X.

De obsidibus, quod bene non custodiunt, & ab eis fugunt.

## XI.

De illis qui necessitatem patiuntur, ut meliorem habeant consolationem ad eorum iusticiam.

## XII.

Vt per placita non fiant banniti homines, excepto si aliqua proclamatio super ali-

quem venerit, aut certe si scabinus aut judex non fuerit; & pro hoc condemnati illi pauperiores non fiant.

## XIII.

Vt haribannum aut aliquod collectum Lib. III. pro exercitali causa Comites de liberis ho- leg. Long. mibimis recipere aut inquirere non praefun- pard. tr. c. mant; excepto si de palatio nostro aut fi- lij nostri Misius veniat, qui illum hariban- num requirat.

CAPITVLARE QVINTVM  
INCERTI ANNLI

## S I V E

## CAPITVLARE ADMONITIONIS AD EPISCOPOS.

*Nunc primum editum ex schedis clarissimi viri Iacobi Sirmondi Societatis Iesu.*

## C A P. I.

**P**rimò omnium admonendi sunt de rectitudine fidei sue, ut eam & ipsi teneant & intelligant, & sibi subiectis populis vivo sermone annuntient. Et uniusquisque eos quos habet in suo ministerio cognoscat, five viros, five feminas, ut noviter singulorum confessiones & conversationem; quia pro omnibus redditurus est rationem Deo.

## II.

Secundò, ut ipsi sacerdotes talem ostendant suam conversationem subiectis sibi populis quae imitabilis sit, videlicet, sicut Apostolus dixit, in castitate, in sobrietate, ut non deferviant gulae & cupiditatibus seculi, ut quod alios monent observare in se ipsis ostendant, ut caveant se ab omni avaritia & cupiditate, quia multi die nocturne laborant ut adquirendo temporalia, res videlicet, mancipia, vinum, & annonam, cum usura, à qua & Deus prohibet & omnis scriptura divina & sancti canones, necnon mulierum declinet confortum, & secum habitare non permittant, ut auctoritas est canonica,

## III.

Tertiò, ut orationem dominicam, id est, Pater noster, & Credo in Deum,

omnibus sibi subiectis insinuant, & fibreddi faciant tam viros & feminas quamque pueros.

## IV.

Quartò. Ut ipsi Presbyteri à commissariis, potationibus, ut Apostolus moneret, se subtrahant, cum quidam illorum cum quibusdam vicinis suis utantur usque ad medium noctem & eo amplius cum ipsis bibendo moratur. & qui religiosi & fani esse videntur. Nam quidam tunc ibi manent, sed tamen saturati vel ebrnj revertuntur ad Ecclesias suas, & neque in die neque in nocte officium Deo in Ecclesia sibi credita perfolventur. Nonnulli verrò in eodem loco ubi ad convivium pergunt dormiunt.

## V.

Quintò. Ut ipsi Presbyteri tales scolarios habeant, id est, ita nutritos & insinuatatos, ut si forte ei contingat non posse occurrere tempore competenti ad Ecclesiam suam officij gratia perfolvendi, id est, tertiam, sextam, nonam, & vesperas, ipsi scolarij & signum in tempore suo pulserent & officium honestè Deo perfolvant.

## VI.

Sextò. Ut diligenter reficiatis post ordinationem uniuscuiusque Presbyteri quantum quisque fecerit in suo ministerio:

quia qui ante ordinationem pauperes fuerunt, post ordinationem vero de rebus cum debuerant Ecclesias servire emunt sibi alodium & mancipia & ceteras facultates, & neque in sua lectione aliquid profecerunt, neque libros congregaverint, aut ea que pertinent ad cultum religionis augmentaverunt, sed semper comiciis & contritionibus & rapina vivunt.

VII.

Septimò. Ut domesticos suos, id est, eos qui cum ipso sunt in sua mansione, siue scolarios, live alios servientes, diligenter prævidere studeant ab omnibus vitiis, & maximè de ebrietatibus & luxuris & variis immunditiis. Nam, sicut dicit Apostolus, qui domesticorum suorum

curam negligit, aliorum non velle poterit prodeſſe conuersationi.

VIII.

Octavò. Ut hospitales sint: quia multi, qui sciunt hospitem supervenire ad Ecclesiam suam, fugiunt. Apostolus juber & cetera scriptura divina lectando sequi. Illi è contrario faciunt, & pauperibus subvenire metuant.

IX.

Nonò. Iubet Apostolus omnibus fidibus ut sermo noster in gratia sit semper sale conditus, id est, ut ea loquatur Christianus qua religioni serviant, unde aliquis mentem condire possit, & à putredine peccatorum emundare. Si omnibus fidibus..... Cetera desunt.

## CAPITVLARE PIPPINI REGIS ITALIÆ,

Datum, ut videtur, anno Christi DCCXCII. post sedatam seditionem Italiam ejusque auctores punitos.

Nunc primum editum ex duobus antiquis codicibus manuscriptis, uno bibliotheca Thuanæ, altero monasterij Sangallensis.

INCIPIVNT CAPITVL A.

1. De iustitie generalibus.
2. De monachis qui de Francia veniunt.
3. De Presbyteris qui de alia provincia veniam.
4. De his qui ad palatium veniunt, vel inde vadant.
5. De illis hominibus qui seniores suos dimittunt.
6. De hominibus libellariis.
7. De Ecclesiis baptismalibus.
8. De imminutis conservandis.
9. De viis & pontibus emendandis.
10. De feminis quarum mariti in Francia sunt.
11. De Missis per singula monasteria dirigendis.
12. Quod nulli homini sua testimonia tollenda sunt.
13. De liberis hominibus Longobardis.
14. De xenodochiis.
15. Ne Laici homines teneant Ecclesiastis baptismales.
16. De Advocatis sacerdotum.
17. De diversis generationibus hominum qui in Italia commandant. Et de statu ingenuitatis.
18. De compositionibus que ad palatium pertinent.
19. De monasteriis & xenodochiis regalibus.
20. De rebus forfictis.
21. De eo cajus res in elemosyna date sunt.
22. De iure filia in res servorum quos pater fecit liberos.
23. De auctoritate legis & confutacione.
24. De potestate vendendi & donandi in feminis.
25. De mancipientibus palati & Ecclesiistarum.
26. De liberis hominibus ad servilia opera non cogendis.
27. De alditionibus palati.
28. De fugitiis.

Tom. I.

Ll ij